



Lienem trahere chylum.

CAP. VII.

Hujus rei argumenta partim à ramo venæ portæ splenico ducuntur, partim ab ipso liene.

Et licet conclusum sit, non tantum venam trahere, sed & arteriam: tamen quia res in venâ est clarior, de illâ loquar tantum.

I. Igitur argumentum est à substantiâ venæ portæ. Quæ venæ eandem substantiæ speciem habent, illæ quoque eandem actionem obtinent, At venæ portæ ramus dexter & sinister eandem substantiæ speciem habent, ad sensum etiam, Ergò. Illa autem actio est, vehere chylum. Major probatur ex 6. Sent. Hipp. & Plat. 8. ubi dicitur, propriam cujuslibet partis actionem sequi propriam substantiæ partis illius speciem.

Heic, si quis velit alia omnia ingerere de diversitate rami Mesenterici à ramo splenico, & hujus quidem partem, quâ lienem ingreditur, caudam appellare, illius autem, quâ hepar, caput; velit etiam de ramis, de caudice seu trunco, de radice non pauca spargere: huic ego dicam, Si vena portæ cum plantis
com-